



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118324

§. 46. Mors Cardinalis S. Crucis

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

§. XLV.

Eugenius Papa Florentia Senas profectus.

Sæcul. XV.

A. C. 1443.

Die septima Martii Eugenius Papa Florentia discessit, Romam petiturus, ad quam urbem Synodum transtulerat; Senas die decima ejusdem mensis solemnè pompa ingressus est, ac ibi sex menses substitit, a plurimis Italiæ Principibus, aliorumque Oratoribus summis honoribus exceptus.

§. XLVI.

Cardinalis Sanctæ Crucis obitus.

Eo tempore Senis, die nona Maji Cardinalis S. Crucis, nomine Nicolaus Albergatus Carthusianus, postquam anno millesimo quadringentesimo decimo septimo in Bononiæ Episcopum consecratus erat, ex calculo, quem sibi extrahi curavit, rebus humanis ereptus est. Jam sæpius Viri hujus merita, data occasione commemoravimus. Numerabat inter suos domesticos Thomam Sarsanam, & Æneam Sylvium, quorum uterque ad summi Pontificatus apicem postmodum ascenderat. Eugenius, qui morbo decumbentem frequenter invisit, ejus quoque funeri publice interesse voluit. Corpus ejus, prout jusserat, translatum est

Ciacon.
Pogg. in
orat. funebr.

Sæcul. XV. ad Carthusiam Florentinam, cujus Prior
 A. C. 1443. erat Thomas Subdiaconus, postea sub
 nomine Nicolai V. ad summam sedem
 evectus. Poggius Florentinus defuncto
 Cardinali oratione funebri parentavit.

§. XLVII.

Eugenii Papæ Epistola ad Alphonsum.

Aug. Patric.
Conc. Basil.
Et Flor. art.
 140 p. 1610.
ex tom. 13.
Cons.

Eugenius Papa Senis ad Alphonsum li-
 teras dedit, per Patriarcham Aquile-
 jensem delatas, ac Regi Terracinæ porre-
 ctas. Cum vero Alphonsus tam Eugeni-
 um, quam Felicem variis lenociniis sopire
 moliretur, illi, a quo ampliores condi-
 tiones exigere posset, tandem adhæsurus,
 concordiam quoque die duodecima Junii,
 ut referunt Acta Patricii, cum Eugenio
 iniit, his præcipue legibus ultro citroque
 conclusis.

§. XLVIII.

*Articuli Pacis Eugenium inter
 et Alphonsum.*

Pax firma atque stabilis inter Eugenium
 Papam & Alphonsum, necnon mu-
 tua, eaque solida omnium præteritorum
 oblivio inducetur; Alphonsus Eugenium
 tanquam verum, ac summum Pontificem
 profitebitur, nec ejusdem auctoritatem
 quoquo modo clam, aut publice lædi
 per-